





24



Εξέτασις ψυχολογική 1610 1
De

INTELLECTU

HUMANO,

Quam

SUMMO INTELLECTU

favente & moderante,

Consensu & jussu Amplissimi Senatus

Philosophici in celeberrima florentissimaq;

Wittebergenfium Academia

PRO LOCO in Facultate Philosophica

sibi assignato,

publicè examinandam & discuti-
endam exhibet

M. MATTHÆUS BACH-

MANUS Dresdensis,

Respondente

PAULO RÖBERO,

Wurtsensi Misnico.

Instituetur ad diem 6. Julij in Collegij novi Audi-
torio magno, horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Ex officina Typographica Johannis Gormanni.

ANNO M. DC. X.





Viris cum DEO

REVERENDIS, INSIGNI PIETATE,
*Eximiâ eruditione, singulari auctoritate,
Clarissimis, Præstantissimis, Spectatissimis:*

D. VVOLFANGO MAMPHRASIO
Episcopatus Misnensis apud VVurtsenses Superat-
tendenti celeberrimo, amitino:

M. JOHANNI MULMANNO S.S. Theologiae
in inclytâ Lipsiensi Professore laudatissimo: & Ec-
clesiæ ibidem ad D. Nicolaum Pastori dignissi-
mo, Electoralium etiam alumnorum in-
spectori vigilantissimo, affini,

Dn. ABELI HELDIO, Burckstadiensium, in
Baronatu Schönburgico Misnensi, parcho
meritissimo, avunculo:

Dn. ABRAHAMO MAMPHRASIO, Verbi
Coelestis in Nitschwiß ministro fidelissimo, amitino:

Non tam patronis quàm parentibus suis

*Ἀριστοτελικὴν τήνδε, τῆστι, θείαν τῆς θειοπάτης τῆς ἐν μικροκόσμῳ
δυνάμεως ἀνάλυσιν εὐχαριστίας μεγάλης σύμβολον ἔμελλας
literarij anathematis modo, quasi ad a-
ram; quâ potest, animi submissione*

offert, Dicat, Consecrat

Respondens.



Σὺν Θεῷ

De

INTELLECTU HUMANO.

THESIS I.



LEGANTER sanè & verè ait Seneca: Cogita Epistola 8. l. 1. de summo in te præter animum nihil esse mirabile. Et Isidorus inquit: O homo, quid miraris fidèram altitudines & profunditatem maris? animi tui abyssum intra, & mirare, si potes.

II. Anima enim, quæ nos constituit, cum aliis in universo Natura latifundio collata, sola mirabilis est; sola omnium penè viventium regula existit, Scal. Exerc. 102. l. 5. Hac sola movit Platonem, ut hominem *ἄνθρωπος* nominaret.

III. Essentiam ipsius considera: præstantissimi semper Philosophi eam potius admirandam, quam rimandam, quia in hærerum caligine versamur, censuerunt. Productionem ejusdem quæso expende: arcanam eam & stupendam certo certius deprehendes. Eandem in suis facultatibus, quibus instructa est, & operationibus, quas istis mediantibus edit, contemplari cupis? Fuerunt & hæ sapientibus semper stupori & admirationi.

IV. Ut verò Naturam habet nobilissimam: ita nobilissimam quoq; sui cognitionem parit: eamq; tantò jucundiorē aliis, quanto jucundior est sui ipsius contemplatio: tantò interrim difficiliorem, quanto difficilius est, seipsum nosse, & quanto difficilius

tò difficilius substantiam spiritualem nullo utentem organo corporeo pernoscere.

V. Caterum quoniam id jam studemus, ut jucundas ac fructuosas simul horas nostras faciamus, aliquid anime contemplationi dandum esse existimavimus; non deterriti Vivis sententiâ, à Scaligero improbata Ex. 307. l. 2. qui intricatum & plenum obscuritatis negotium mentis nostrae contemplationem pronunciauit. Quem enim usum potest sibi aliquis comparare ex asini conditione cognita, si suum ipse statum cognitum non habeat? ut idem Scaliger *Vivi* objicit. De animâ ergo, non quidem, quatenus est, sed quâ operatur, disputationem instituere placet.

VI. Quia verò anima rationalis duabus facultatibus, quarum beneficio operationes suas expedit, instructa est; Voluntate nimirum & intellectu, missa jam Voluntatis deoipia, ἐν παρῶντι naturam, munia & operationes intellectus in questionibus quibusdam considerandam proponimus, & sub συζήτησιν revocamus: eo tamen ordine, ut 1. intellectum cum sensu conferamus. 2. de objecto intellectus differamus. 3. modum quem in percipiendo objecto, observat, consideremus: & deniq; eandem potentiam in suis muniis & operationibus contemplemur.

Homonymia
vocabuli in-
tellectus.

VII. Ne verò varia vocabuli intellectus significatio nobis imponat, vel obscuritati, confusione & inani verborum contentioni latam portam aperiat, ἐν ὁμοιότητι τῆς διαφεύειν, in distinguendo segnes esse non convenit | 2. Soph. Elench. c. 2. & 3.

VIII. Intellectus ergo vocabulum usurpatur latè & strictè. Latè significat quamlibet cognitionem, sicut l. 3. de an. c. 3. t. 150. & c. 4. t. 2. & c. 9. t. 48. mentis nomine etiam vis imaginandi denotatur. Strictè verò rursus dupliciter sumitur, vel minus vel magis strictè. Minus strictè significat universam cognoscendi facultatem à virtute sentiendi distinctam. In qua significatione Aristoteles l. 3. de anima, de intellectu

Intellectu verba facit, idemque est facultas intelligendi ipsi ac anima rationalis. Magis strictè rursus dupliciter usurpatum reperimus. Vel enim denotat facultatem, quæ versatur in sola principiorum, quæ à Philosophis νοῦν ἐννοεῖν nominantur, contemplatione, quo in significato Aristoteles intellectum 1. 6. Eth. c. 6. accepit: vel denotat omnem vim intelligendi à voluntate distinctam, & in hac significatione vocabulum intellectus nos hoc loco accipimus.

IX. Ad hujus verò naturam & munia intelligenda & investiganda, principio cum Aristotele ex 1. 3. de An. c. 4. cum

I.
De collatione
intellectus
cum sensu.

cum sensu conserimus, videmusque in quibus cum sentiente anima facultate conveniat, in quibus verò vicissim ab ea differat. Nam ex hac collatione intellectus natura & excellentia, quam præ ceteris anima facultatibus obtinet, haud parùm clara manifestaque fiet.

Convenientia.

X. Conveniunt autem sensus & intellectus in tribus potissimum 1. in eo quod uterque est ἀπαθής, passionis expers, intellectus a passione non perficiente, sed perimente. Quemadmodum enim sensus non interit, dum sentit, sed potius rerum sensibilium speciebus informatur, & perficitur: ita nec intellectus corrumpitur, dum intelligit, sed potius speciebus intelligibilibus perficitur.

XI. 2. In eo, quod cum sensus tum intellectus formas & species rerum possunt recipere, nec actu sed potestate eas in se continent. 3. in eo: quod sicut sensus sese habet ad sensilia, ita intellectus ad ea est affectus, quæ intelliguntur. Quemadmodum enim sensus percipiendo res sensiles actu fit ipsa sensilia: ita intellectus percipiendo res intelligibiles, actu fit ea, quæ intelligit, non quidem secundum essentiam, sed secundum formam & speciem: 1. 3. de an. c. 8. t. 38.

Disconvenientia.

XII. Licet verò intellectus cum sentiente in multis conveniat, in multis tamen ab eadem differt. 1. latitudine: quia sensus

A 3

est po-

est potestate sensibile, non quodvis, sed certum aliquod & determinatum, veluti aspectus est potestate aspectabile, non odorabile, aut gustabile: Intellectus verò potestate est omnia, tam essentia, quam accidentia, quia hæc omnia intelligit.

XIII. 2. Simplicitate. Sensus enim mixtus est & compositus: Intellectus verò ἀμιγνῆς & impermixtus, ut omnia intelligere possit, siquidem quod compositum est, non omnia potest percipere, cum quedam actu in se habeat. Verbi causa manus calida non sentit calorem aquæ pariter calidæ, siquidem ejus sensationem internus calor impedit. 3. Instrumento. Sensus semper aliquâ corporis parte utitur. Intellectus verò inorganicus est, & separatim etiam intelligere potest. Nam si intellectus post mortem non intelligeret, melius illi foret in nexu, quam soluto. Scal. Exerc. 37. s. 19.

XIV. 4. Progressionis modo. Vehementi sensibili commotus sensus vel aliquandiu munere suo fungi nequit, vel prorsus perimitur: Intellectus verò post difficilissimi intelligibilis perceptionem nihilominus cognoscit; imò illi, qui in sublimiorum rerum contemplatione sese exercent, certè sapientiores, & ad aliorum speculationem aptiores redduntur, quàm illi, qui animo ad vilia adjecto in crassiusculis istis intellectui suo meritam constitutam putant: Cujus ratio est, quòd ad sensum certa instrumenti temperatura requiritur, quam vehemens sensibile destruit, intellectus verò est facultas animi à corpore separata, & absq; organo suum munus obire potest.

XV. 5. Objectis. Cum enim res omnes vel simplices sint & à materia separata, in quibus idem est τὸ εἶναι καὶ τὸ εἶναι τὴν οὐσίαν, esse & essentia rei: vel composita & cum materia concreta, in quibus aliud est esse, aliud essentia, aliud res ipsa, aliud forma rei; ut aliud est esse magnitudinis, quòd spectat materiam, aliud essentia & forma magnitudinis: cum inquam

quam res ita distinguantur; Sensus quidem res compositas; Intellectus vero res simplices percipit, & rursus in rebus compositis sensus ipsum tantum rei esse; intellectus vero in super rei essentiam vel quidditatem cognoscit.

XVI. Postquam Excellentiam & prerogativam, quam praesentiente anima facultate intellectus habet, perspeximus & cognovimus, & modo in ultimo collationis membro objectorum utriusque facultatis injecta fuit mentio, intellectus objectum venit nunc distinctius considerandum.

XVII. Illud autem sunt τα νοητά, siue sint ex numero τῶν ἀπλῶν simplicium, quae ab omni materia sunt libera, quemadmodum substantiae spirituales & omnes ea res, quarum essentia & forma à rebus ipsis nihil differt: siue sint composita, & cum materia concreta, in quibus aliud est ipsa res & aliud rei essentia.

XIIX. Haec vero rerum genera triplici modo intellectus noster contemplatur: primus dicitur ἐν τῷ ἐξ ὁμοιοῦς, quo materia & essentia rei simul perpenditur, neque haec ab illa seorsim consideratur, ut fit in Physicis: secundus dicitur, ἐξ ἀφαιρέσεως per abstractionem, quo ea, quae in materia aliqua revera existunt, absque illa tamen investigantur, & cognoscuntur, sicut in Mathematicis: tertius dicitur ἀπλῶς simplex, quo absolutata rerum essentia ab omni sejuncta materia simpliciter mente intelligitur, ut in Metaphysicis.

XIX. Verum enim vero quia omne Ens dividitur in universale & particulare l. de ign. c. 7. Si non immerito ulterius hic ambigitur, an circa utrumquam tanquam suum objectum intellectus versetur. Universalia quod attinet, nullus unquam Philosophorum dubitavit, quin intellectus circa universalia sit occupatus: praeterquam enim quod Aristoteles multoties conceptis verbis id pronunciat l. 1. post. l. 1. Phys. c. 5. l. 3. de an. illud praeterea ex scientiis, circa quas intellectus noster versatur,

II.
De objecto Intellectus.

versatur, quas nemo nisi universalium verum facile admittit, clarissime patet.

An cadant in
intellectum
singularia.

XX. Verum num etiam simul res singulares percipiat intellectus, easque si percipit, num prius quam universalia cognoscit, de hoc non omnibus idem est iudicium. Quosdam enim pro objecti intellectus universalitate tam acriter pugnare reperies, ut eos omnia prorsus ab intellectu singularia removere intelligas. Quorum fundamentum potissimum est, quod Philosophus passim intellectum universalium, sensum vero singularium esse asserat, 1. Phys. c. 5. t. 49. lib. 1. post. An.

XXI. Deinde sunt quidam, qui licet objectum singulare intellectum percipere concedant, negant tamen, eum illud, quatenus singulare est, primo intuitu intelligere; sed dicunt, illum à singularis rei specie per sensum externum ad imaginationem delata abstrahere naturam universalem, tandem aliquando veluti reflecti & ita indirectè per reflexionem quandam singularia quoque percipere. Thomas in quaest. de Verit. q. 2. art. 10. D. Ludov. Havenreut. l. 3. de an. c. 4. ad t. 11. Franc. Tolerus in Porphyrium quaest. 1. & 2. cum quibus etiam Philosophus facere videtur l. 3. de an. t. 10. ubi Aristotelem, ajunt, statuerè, intellectum cognoscere universalia tanquam per lineam rectam, singularia vero per lineam reflexam.

9. Metaph. c.
14. 16. 20.

XXII. Contra verò non pauci Philosophorum reperiuntur, qui ab his modò recitatis opinionibus divortium facientes, omnino statuunt, intellectum omnia Entia intelligere, sive sint simplicia, & ab omni materia concreione libera, sive materialia; sive sint universalia, sive singularia.

XXIII. Rationes verò, quibus pugnant sunt potissimum hæc:
1. Si intellectus omnia percipit, necesse est, ut etiam singularia percipiat. Sed verum est prius ex assertione Aristotelis l. 3. d. an. t. 4. 2. Si intellectus facit discrimen inter duas res singulares, necessario

necessario debet utramq; cognoscere. Alias enim non posset discrimen facere. Sed facit intellectus discrimen inter duas res singulares, siquidem Experientia teste Paulum & Petrum discernit. 3. Prudens cognoscit suas operationes, quae tamen singulares sunt. 4. Intellectus ponit discrimen inter singulare & universale. Ergo utrumq; proprie ac distincte percipit. Hic iudicandi actus, quia simplex est, necessario ad unam eandemq; potentiam pertinebit: non ergo ad aliam inferiorem potentiam est confugiendum, quae ista singularia cognoscat discernatq;

XXIV. Quin etiam ipsis hoc verè dici videtur, intellectum prius cognoscere singularia quàm universalia. Ea enim quae sensui sunt propinqua facile & primò cognoscuntur. At singularia sensui sunt propinquiora universalibus. E. & c. Majorè probant, scientia enim nostra à sensu oritur. E. quae primò in sensus incurrunt, primò etiam ab intellectu intelliguntur. Minor constat experientia: quis enim non prius percipit, hunc esse hominem quàm quid sit homo?

XXV. Imo per singularia pervenit intellectus in cognitionem universalium. I. enim species rerum singularium acquiruntur beneficio intellectus agentis & phantasmatum. Deinde post receptam speciem rei singularis abstrahit ex ea naturam communem, eam nimirum, concipiendo absq; differentiis individualibus: tum autem per ejusmodi conceptionem intellectus species naturae communis intelligit. Coll. Con. cap. 5. q. 4. art. 3.

XXVI. Huic postremae sententiae utpote rationum pregnantium fulcimentis corroboratae, & nostrum nos addimus calculum. Quamvis enim passim Philosophus intellectui universalia, sensui verò singularia attribuat, quo fundamento prima opinio nitebatur: tantum tamen abest, ut intellectui Philosophus singularium cognitionem denegat, ut potiùs ei singularium perceptionem attribuendam esse censeat, dum ait, cum

B

circa

1. Metaph. 2.
l. 1. post. c. 1.
l. 2. post. c. 18.

circa omnia versari. In iis ergo locis Aristoteles praesertim l. 3. de an. cap. 4. differentiam inter sensum & intellectum ex proprio cujuslibet facultatis objecto desumptam ostendere voluit, quale sensus sunt singularia, intellectus universalia.

XXVII. Non autem ab intellectu excludit singularia, cum unius inclusio non semper sit alterius exclusio. Noluit autem in objecto intellectus constituendo singularium mentionem facere, ne, dum ex objectis duarum facultatum harum discrimen petere volebat, aliquid commune ex parte intellectus poneret, in quo non differret intellectus, sed conveniret cum sensu: & ita contra scopum suum faceret. Intellectum ergo in eo differre statuit à sensu, quòd hic sola singularia, ille praeterea universalia cognoscat. Quamvis nec illud hoc loco reticendum sit, nonnulla Aristotelis testimonia imprimis ea, quae habet in lib. 1. post. Anal. de scientia cognitione explicanda esse, quae intellectum $\pi\epsilon\sigma\omega\tau\omega\varsigma$ ac per se universalia, singularia vero $\delta\epsilon\upsilon\tau\epsilon\gamma\omega\varsigma$ tantum & per accidens contemplari & nos asserimus. Verum id nostrae sententiae nihil incommodat.

XXIIX. Nec hinc objectorum intellectus & sensus sequitur confusio. 1. quia intellectus tam singularia quam universalia percipit. Sensus vero singularia duntaxat. 2. quia ipsa etiam singularia aliam formalem rationem sortiuntur, dum in intellectum, aliam, dum in sensum recidunt. Ad illum enim sub ratione intelligibilitatis, ad hunc sub ratione sensibilitatis pertinent. Neque ex hac sententia concludi potest, noticiam singularium in intellectu esse supervacaneam, uti nec illa cognitio supervacanea est, quae sensus communis omnium exterorum sensuum objecta cognoscit & dijudicat. Imò imperfecta esset vis intelligendi, nisi in eam talis noticia caderet, quia perfectio ordoque natura exigit, ut in potentiis subordinatis, quicquid inferior potest, possit etiam superior,

Nec

XXIX. Nec ab altera opinione ratione ex Aristotele deducta nobis imponi patimur, cum illo in loco Aristoteli de reflexa aut directa cognitione sermo non sit. Etenim cum quaestionem proposuisset, eademne an diversa potentia rem singularem sensibilem aut communem ejus naturam cognoscere-
mus; respondet ille, animam rem singularem sensibilem percipere potentiâ sensitivâ; communem verò aliâ, aut separabili, id est, diversâ secundum rem ab eâ, qua singularem cognoscit, aut habeat ad seipsam, atq; cum extensa fuerit linea flexa, id est, qua saltem ratione ab illa differat. Nihil prorsus ergo hîc agitur de reflexa aut directa intellectus cognitione. Coll. Con. l. 3. de an. c. 5. q. 4. art. 3.

XXX. Antequam verò hanc controversiam missam faciamus, dubium prius restat solvendum. Hactenus enim multoties dictum est, sensum esse singularium tantum, cum tamen Philosophus 2. post. 18. sensum faciat universalium. Verba sunt: ἡ δ' αἰσθησις τῆ καθόλου ἐστὶν διὸν ἀνθρώπου ἀλλ' ἔκαστου ἀνθρώπου. Hunc nodum aliter alij solvunt. Nobis optimam responsionem præbet hæc Universalis distinctio.

XXXI. Capitur. 1. propriè pro communi natura atque essentia ab omni singulari consideratione sequestrata, quam melioris distinctionis gratiâ cum reduplicatione efficiunt, verbi causa, Animal quatenus animal, non quatenus est homo, hoc vel illud animal. 2. minus propriè, pro toto, quod suo ambitu continet omnia, ejusdem nominis inferiora & singularia, ita ut omnia subintelligantur, quæcunq; illa communi appellatione comprehenduntur. Hoc modo absq; reduplicatione effertur, cum signo universali seu collectivo, Verbi gratia, Omne animal: quo intelligitur non solum animal ut animal, sed Petrus, Paulus, Leo, Lupus; &c. & singula, qua animalis veniunt appellatione.

Quomodo accipiendum sit illud Aristotelis: Sensum esse universalium.

B 3 Vt autem



XXXII. *Vt autem universale priori modo soli intellectui ob-
jicitur, sic sensus versatur circa alterum universale, quod pro o-
mnium singularium, ejusdem communis appellationis quasi
aggregato sumitur, v. g. visus occupatus est circa omnem colo-
rem, non quatenus est color, secundum universalem notionem,
sed circa omnia singularia, quae coloris veniunt appellatione.*

III.
De modo &
processu, quem
observat intel-
lectus in co-
gnoscendo ob-
jecto.
An dentur
species intelli-
gibiles.

XXXIII. *Ceterum, quia omnis intellectio fit per receptionem
rei intelligenda, & verò res intellecta intellectum immediate
ingredi nequit, ulterius nunc perspicendum est, quomodo ob-
jecta sua intellectus percipiat. Requiritur autem ad intelli-
gendi actum. 1. Species intelligibiles, de quibus valde intrica-
ta vehementerq; agitata est controversia, necessarionè istae
dentur in intellectu ab actu intelligendi distinctae, per quas rei
vera intelligit. Negant id Durandus, Gabriel Biel, Aegidius &
alii, refutati cum suis argumentis per Simonem à Visitatione. 3.
de an. c. 8. q. 3. art. 1. Affirmant Thomas, Scotus & plerique,
quos etiam sequitur Simon à Visitatione.*

XXXIV. *Est verò haec sententia posterior sine dubio Aristote-
lis menti magis consona, qui l. 3. de an. c. 4. t. 6. cum Plato-
ne docet, Intellectum esse formarum, hoc est, specierum intelli-
gibilium locum. Estq; sine dubio vera, cum vera & necessaria
dentur cause, ob quas species illae sunt ponenda, quarum ali-
quas recensere placet.*

XXXV. *1. Omnis intellectio fit per receptionem rei intelligens
da. At res ipsa intellectum ipsum ingredi nequeunt. Ergo dan-
da sunt species, quae locum illarum suppleant & viam tenent.
Scal. Ex. 307 l. 6. & 21. 2. Objectum intellectus, si praesens fieri
debet intellectui, necesse est, ut in intellectu praeter intellectio-
nem detur aliqua species non solum expressa, quae conceptus vel
verbum mentale vocatur, & intellectio in re terminat:
sed etiam impressa, quae vocatur intelligibilis & rationem atq;
formam intelligendi praebet, ultimam complens virtutem a-
gentem intellectus, ut possit in actum intelligendi exire.*



XXXVI. 3. Si Intellectus non per species, per phantasmata intelligeret. At phantasmata ad id præstandum ne utiquam satis sunt. Quemadmodum enim sunt materialia & imperfecta crasseq; natura, ita non nisi singulares res representant, & tamen constat, intellectum etiam objecta communia percipere. Deinde phantasmata non sunt intimè conjuncta intellectui, cum non hereant in anima sed in corpore, hoc est, in potentia sensitiva corpori inherente. At nihil operatur nisi per virtutem quæ in ipso est. 4 deniq; negatis speciebus intelligibilibus, negatur memoria rationalis seu recordatio, cujus officium est species sive imagines, quas de rebus intellectus concepit, conservare. At hanc ponendam esse pro confesso jam sumimus. Ergo.

XXXVII. At inquis: Sensus tanquam potentia inferior suas ministrat intellectui species tanquam potentia superiori? Resp. non opus esse, ut potentia inferior semper ministret superiori, objectum illi proponendo, quia alia etiam ratione ei ministrare potest. Sicuti sensus suppeditat intellectui subjecta, nempe phantasmata, ex quibus ille species intelligibiles abstrahit.

XXXIIX. Rursum instas: Multa à nobis cognosci, quorum species intelligibiles non habemus, siquidem DEI & substantiarum separatarum, rerumq; aliarum materia expertium conceptus formamus, licet species intelligibiles assequi non valeamus, cum non moveant sensum, nec phantasmata, à quibus abstrahamus, gignant. Ad hoc dubium removendum notandum est, duo esse genera intelligibilium. Primum continet ea, quæ per se, hoc est, per propriam speciem ab homine intelligi possunt, cujus generis sunt substantia corporea & omnia per se sensilia. In quibus (substantias corporeas attendimus) primo aggressu imaginatio à sensibus ad se delatum substantia corporea accidens apprehendit, deinde ex illius prænotione in substantia noticiam statim penetrat & tandem intellectui representat Coll. Con. c. 5. q. 5. art. 1. l. 3. de an. It. l. 1. Physic.

An omnium
Etiam habemus
species
intelligibiles?

B 3

C. 1. q.



c. 1. q. 5. art. 2. Secundum complectitur ea, quae non per se, hoc est, per propriam speciem intelliguntur, sed per speciem alienam, ut sunt omnia ea, quae sensus notionem fugiunt.

XXXIX. Hinc respondemus ad instantiam, negando, intellectum absq[ue] aliquâ specie intelligibili intelligere posse. Quamvis enim non semper habeamus speciem à propria ejus rei, quam intelligimus, specie elicitam; sæpè tamen ex imagine & notitiâ unius ad cognitionem conceptumvè alterius progredimur, quae cognitio etsi non proximè, remotè tamen à sensu oritur.

An in intellectu operatio-
ne Verbum
mentis, uti ap-
pellari con-
suevit, insu-
per requira-
tur.

XL. Verum enim verò quia species intelligibiles in intellectu esse possunt, licet actu secundo non intelligat, unde intellectus habitu nominatur, proinde, prout rem actu jam intelligit, res cognita in ipsa intellectione potentia insuper praesens est per expressam sui imaginem. Hoc fit per verbum mentis, quod nihil est aliud, quam expressa rei species.

XL I. Dandum verò esse hoc verbum mentale hunc in modum concludunt. Qualibet intellectio non solum requirit objectum praesens, sed est assimilatio quaedam inter potentiam intellectricem & rem intellectam. Haec verò assimilatio consistit in exprimendâ & representandâ re cognita. Et talis expressio fit per verbum mentale. Ergo absq[ue] hoc nulla potest dari intellectio.

XL II. Hujus verò naturam ut eò melius intelligamus. **lib. 3. de an. c. 8. q. 8. art. 2.** originem attendamus. Statuunt verò Conimbricenses, verbum hoc produci per quemlibet actum intelligendi. Intellectus enim specie intelligibili formatus statim potest ab ea eliciere intellectionem, qua verbum gignitur. Ejusmodi verò actus ut ordinem habet ad verbum, quod per ipsum gignitur.

pecu-



peculiari vocabulo dictio nuncupatur. Ex quo patet verbum, quamvis sit propter intellectionem, non tamen ad eam requiri, uti formam quandam actum intelligendi antecedentem, ad id namque, satis est intellectus & species: sed quia non potest quicquam sub intellectionem cadere, quin expressa simul eius imago ab intelligente formetur.

XLIII. Deinde observandum, quidnam vel convenientia vel discriminis intercedat verbo cum specie intelligibili, ipsa intellectione, & denique, obiecto. Convenit verbum cum specie in eo, quod utrumque tendit in rem representatam. Differt ab eo 1. quia species tendit in rem, ut cognitam ac representatam habitu; Verbum autem in rem, ut actu expressam. 2. Species, cessante actu intelligendi, manet, verbum non manet.

XLIV. Ab intellectione vero verbum, quamvis re ipsa non differat, quoniam ita se habet quaelibet actio ad terminum per eam productum, ut se habet motus ad eundem. At motus est idem re cum suo termino. Ergo & intellectio cum verbo quod est illius terminus. Formaliter tamen intellectio non est verbum. 1. quia verbum est terminus intellectionis. Omnis vero actio formaliter saltem a suo termino differt. 2. verbum est imago expressa ab intellectu, estque formalis similitudo rei cognita: Intellectio vero, qua talis, non est similitudo. Objici tamen potest, Effectum distingui realiter a sua causa. Ergo & verbum ab intellectione, que illius causa est. Sed negandum est, intellectionem esse causam verbi, sed productionem & quasi viam, qua intellectus verbum exprimit.

XLV. Ab obiecto vero realiter distinguitur. Verbum enim
mentale

Coll. Conimb.
lib. 3. de an.
c. 8. q. 4. ar.
tic. 2.
Vide eodem
lib. 3. Physic.
c. 2. q. 3. art. 2.

mentale ex sua natura est intra mentem, at res cognita non-
dum verò per cogitationem expressa extrinseca quasi est intel-
lectui. Ex quibus omnibus clarum est, ad ipsam intellectus
operationem non tantum requiri receptionem specierum in-
telligibilium, sed insuper in ea condescendam esse representa-
tionem actualem, rerum intelligibilium per mentis verbum.

An intellectus
seipsam intel-
ligat & quo-
modo?

Primum enim non sufficere patet in dormientibus homini-
bus aliisve rebus intentis, qui licet in se habeant species intelli-
gibiles receptas, tamen res ipsas actu non semper intelligunt.

XLVI. Antequam verò hinc abeamus, haud sicco pede
prætereundam esse censemus illam questionem, quæ quæri-
tur, utrum anima nostra seipsam intelligat per essentiam,
similiterque intelligendi vis proprias functiones atque habitus
cognoscat. Circa hanc questionem quamvis multi multa
moverint, plurimaque perplexè intricateque proposuerint, simpli-
citer tamen responderi posse existimamus, intellectum & men-
tem non quidem directe & immediate absque ulla specie per su-
am essentiam, neque etiam per propriam speciem, sed specierum
intelligibilium, quas abstrahit à sensibus, & sic alienarum in-
terventu seipsam cognoscere.

XLVII. Quando enim concipit id, cuius speciem à sensibus
hausit, verbi causa, humanam naturam, tunc reflectitur supra
actum suum, eumque percipit, & ex eo cognoscit tum imaginem
tum potentiam, à qua actum elicit: deinde quia comperit
habet, imaginem rei non corpoream aut materiale aliquid ef-
se posse, sed materia omnino expertem, atque ad eum non nisi in
potentia spiritali & in substantia incorporea ut in subjecto
consistere, percipit tandem se, ut substantiam quandam imma-
terialem intelligentem, & rationis participem. Coll. Co-
nimb. lib. 3. de an. c. 8. q. 7. art. 2.

XLIX. Intellectus ergo non nisi actu reflexo & unum ex
altero arguendo in sui cognitionem pervenit. Sunt enim

actiones

actiones duas inquit Scal. Exerc. 207. sect. 2. una recta, altera reflexa. Prima quidem cognoscit aliquid, secunda cognoscit, se & cognoscere, & cognoscendi habere potestatem: & sic fit, ut idem sit quod intelligit & quod intelligitur, hoc est, ut intellectus intelligat, se intelligere & se intellectum esse, Lud. Haventr. ad r. 11. cap. 4. l. 3. de an.

XLIX. Objecto intellectus, modo quo intellectus in eo percipiendo utitur, perspecto & cognito, ipsam nunc facultatem intelligendi cognoscendam aggredimur. Initio autem Intellectus duplicem esse vim cum Aristotele statuimus: Vna dicitur $\nu\sigma\varsigma\ \pi\alpha\theta\eta\lambda\omicron\varsigma$, mens patibilis: altera dicitur $\nu\sigma\varsigma\ \pi\omicron\mu\lambda\omicron\varsigma$. Vbi tamen vel maxime hic notatum volumus, Intellectum agentem cum patiente unam & eandem esse facultatem ratione essentia, ratione definitionis saltem, proprietatum & operationis diversa unicuique convenire. Absurdum enim non est in rebus incorporeis unum & idem, agentis & patientis officium diverso respectu obtinere. Et quamvis Philosophus $\nu\sigma\varsigma\ \pi\alpha\theta\eta\lambda\omicron\varsigma\ \kappa\alpha\delta\upsilon\kappa\omicron\upsilon\varsigma$ caducum statuatur, illud tamen de operatione tantum verum est, quod in anima separata Intellectus eo modo amplius non intelligit.

L. Ad $\nu\sigma\varsigma\ \pi\alpha\theta\eta\lambda\omicron\varsigma\ \kappa\alpha\delta\upsilon\kappa\omicron\upsilon\varsigma$ prius nos convertimus, cuius munus secundum Aristotelem est, formas & species rerum in se recipere, receptas superveniente Intellectus agentis illustratione cognoscere. Habet autem triplicem considerationem. 1. enim, consideratur, prout intelligibilia nondum possidet, aptus tamen est illa possidere, quo respectu vocatur Intellectus potestate non actu, non quidem, quasi ratione essentia omni actu careat, ut Alexander Aphrodisaeus censuit, sed quatenus nihil continet in se eorum, quae intelligere potest.

LI. 2. Consideratur, quatenus aliquo modo continet ea quae intelligenda sunt, & intelligi possunt, sed jam non intelligit: quo intuitu vocatur Intellectus ex habitu, sicut dormien-

C

tes

IV.
De ipsa facultate intelligendi.
Distinctio Intellectus in Agentem & Patientem.



tes intelligentes dicimus. Est autem intellectus in habitu, si mens agens, de qua brevis, *Φαντασμα* collustrando species abstrahit, quæ recipimus & cognoscimus in intellectu patibili, ideoque etiam, cessante intellectus operatione ibi resident. 3. Consideratur in actu, (secundo nim.) quando ab intellectu agente illuminatus in ipsa jam operatione versatur, & per speciem, quam recipit, res cognoscit.

LII. Alteram intellectus vim fecimus *ὄρα* *παιδία*, qui species in patibili mente recipi, receptas & potestate intellectas facit actu intelligi. Unde duplex munus hujus dignoscitur: unum est, ex ipsa *Φαντασμα* elicere species intelligibiles & intellectui patibili imprimere: alterum sua collustratione mentem patibilem ex sua potestate in actum deducere, ut per eas species, quas antea recepit, res ipsas intelligat & conceptus formet.

LIII. Præter hæc verò duo mentis agentis munia, quæ hujus vitæ propria, est adhuc aliud munus, quod non in abstractione specierum & intellectione per eas, sed in simplici apprehensione, quæ intuitiva à Scholasticis appellatur, consistit: quæ operatio intellectui agenti etiam post mortem hominis convenit, utpote quæ DEVM, aliasq; substantias separatas intuemur.

LIV. Ceterùm ut ad considerationem agentis intellectus, quatenus ille cum patiente conjunctus est in abstractione & intellectione per species, rursus perveniamus, sciendum est eum se habere veluti lumen. Quemadmodum enim colores, qui potestate sunt visibiles, actu non videntur, nisi lumine collustrentur, ita res intelligibiles per speciem in patiente intellectu, impressa, actu non intelliguntur, nisi ab agente intellectu, illustrentur. 3. de an. cap. 5. r. 18. Ex quibus omnibus patet, factesse etiam Durandi & aliorum opinionem, qui pluribus ad hoc:

hoc adducti argumentis Intellectum agentem ut superfluum
& inane commentum rejiciunt.

L V. Vtriusq; Intellectus, quatenus in Essentia conveni-
unt eadem, quatuor recenset Aristoteles attributa. 1. Intellectus
est απωρῆς non permixtus, & nec cum speciebus sensilibus,
nec cum ulla re alia confusus, quia si illa actu in se haberet,
non intelligeret. 2. Est χωριστός separatus seu separabilis, non
tantum, quia diversus est à reliquis anima facultatibus, l. 2. de
an. c. 2. t. 21. sed etiam quia nulli instrumēto corporeo cōiunctus
3. de an. c. 5. t. 19. & 20. sed suas operationes separatim exercet.
Si enim esset organicus, tunc omnino certum aliquod haberet
organum, sicut reliqui sensus habent. Jam verò nullum habet
1. de an. t. 92. 3. de an. t. 6. Et si esset organicus, sicut alij sensus,
tunc ab excellenti objecto corrumpetur, sicut visum vehemen-
ti lumine, auditum vehementi sono corrumpi videmus, cum
tamen magis perficiatur th. 14.

Attributa In-
tellectus.

Intellectus
substantia
inquinatus

LVI. His autem obstare videtur illud, quod Aristoteles
3. de an. t. 30. ait animam nunquam sine phantasmate intel-
ligere. Cum autem φαντάσματα sint in organo corporeo, ipse
etiam intellectus erit organicus. Verum distinguendum
1. esse existimamus inter objectum & inter organum. Re-
quiruntur enim phantasmata in intelligendo non ut orga-
num, cuius beneficio intellectus edat suas operationes, sed ut
objectum, à quo moveatur, & in quod intueatur,
& de quo objectum suum accipiat. Deinde dicimus In-
tellectum uti corpore, antequam suam inchoet operatio-
nem, quæ formaliter est Intellectio. Nam si Intellectus
vult judicare & cognoscere colores, necessario debent ad eum
deferri. Deferri autem non possunt sine organis corporeis. In
ipsa verò operatione, quando jam ipso actu intelligit, intelle-
ctus nullo utitur organo.

C 2

3. Est



LVII. 3. Est ἀπαθής impatibilis, quæ proprietas, utrique intellectui competit, si perpeffionem Φθαρηκὴν intelligamus; non autem Φυλακικὴν & perficientem, quam intellectui patibili convenire ex precedentibus notum est. 4. Est ἀθάνατος καὶ αἰδι. Immortalis & ratione finis æternus l. 3. de an. cap. 5. r. 20. Ex qua proprietate duo προσημασθὰ colligimus. 1. Aristotelem sensisse animam humanam esse immortalem. 2. Hoc naturali mentis acie indagari posse.

Operationes
intellectus
quocuplices?

LII. Sunt autem Intellectus tres operationes. Cum enim Objectum Intellectus aliud sit ἀδιαίρετον seu individuum, aliud σύνθετον ἢ διηρημένον, compositum aut divisum; aliud denique διανοητικόν, discursu comprehensum, ideo non immerito tres constituuntur modi, quibus mens intelligit. Ad quos intellectus nostri modos vel operationes dirigendas in cognitione rerum comparata est Logica.

LIX. I. Est νόησις τῶν ἀδιαίρετων, simplicium apprehensio. Quia verò τὸ ἀδιαίρετον, individuum tripliciter dicitur, rursus variat hæc apprehensio. Nam I. Individuum aliquod dicitur secundum quantitatem, quod multas quidem partes habet, attamen veluti unum quiddam continuum intelligitur, cujusmodi est non saltem omne continuum Physicum & Mathematicum, quod in plures partes dividi potest; verum etiam omne complexum logicum, quod ut unum quiddam cognoscitur, ut animal rationale, homo doctus &c.

LX. Talia primi modi individua trifariam queunt intelligi. I. si tota simul intelligantur, nulla in partes facta divisione, & tunc totum est actu individuum, atque in puncto temporis intelligitur. 2. si partes seorsim intelligantur, & tum tempus dividitur, atque in quavis temporis parte, distincta pars percipitur. 3. Si omnes partes simul apprehendantur in singulis temporis partibus.

2. In

LXI. 2. Individuum quippiam est secundum formam & speciem, ut in alia specie differentia dividi nequeat, ut : homo, equus, ignis: qualia individua simplici mentis conceptione, & in momento concipiuntur. Licet enim partes habeant ratione materiae & magnitudinis: forma tamen intuitu sunt indivisa.

LXII. 3. Individuum aliquid est secundum actum & potestatem simul, veluti punctum in magnitudine: momentum in motu: nunc in tempore: qualia non per se, sed per privationem tantum, & continuitatis negationem mens nostra cognoscit.

LXIII. II. Est σύνθεσις καὶ διαίρεσις τῶν νοημάτων rerum intelligentia comprehensarum per affirmationem compositio, per negationem divisio. Secundum utramque quippiam vel ut verum vel ut falsum comprehenditur, secus ac in primo simplici apprehensionis modo. Existit autem illa deceptio in intellectu: vel ratione rei; vel ratione temporis. In rebus enim quemadmodum conjunctis jungendis, & divisis dividendis veritas: ita conjunctis dividendis & divisis jungendis falsitas sequitur. Ratione temporis verum & falsum sequitur in contingentibus, ut si dicam Paridem jam rapere Helenam, non simpliciter, sed scilicet ratione temporis falsum profero, quia non jam id fit, sed olim factum fuit.

LXIV. III. Διάνοια, qua unum ex altero per intellectum deducitur. Caterum quia Intellectus non solum verum & falsum, ejusdem generis contraria; sed etiam bonum & malum itidem unius generis contraria percipit: alia Intellectus ab objecto petita proponitur ab Aristotele distinctio, qua alius dicitur contemplativus, alius practicus. Ille Intellectus, Scientiarum, Sapientiaque subjectum est, & verum falsumque cognoscit, atque a se invicem secernit. Hic, βυλδύκωσ nimirum, & vel activus vel factivus, prudentia & artis subjectum est, & cir-

Alia distinctio Intellectus in Speculativum & Practicum.



ea bonum sive expetendum, & malum sive fugiendum ver-
satur.

LXV. Sed queri potest an non in bono & malo verum quo-
que & falsum insit? Et quia interdum, quod bonum est, ma-
lum; quod malum est, bonum esse, cogitare possumus; in qua-
sai è cogitatione falsum inest videtur distinctio frivola. Sed
respondemus: si in bono & malo verum quoque & falsum per
Intellectum deprehenditur, tum ad Intellectum contemplati-
vum spectare. Nam & res agenda sub contemplationem re-
vocari possunt, 3. de an. cap. 9. Sin bonum malumve alicui
bonum, sive prosequendum, aut malum sive fugiendum esse dis-
citur, tunc ad Intellectum activum referri.

An Intellectus
practicus à
voluntate dif-
ferat?

LXVI. Nectamen Intellectus practicus est ipsa volun-
tas, ut Zabarella statuit l. de fac. an. cap. 13. Sed voluntas ipsi
subest, qua si beneficio practici Intellectus probe moderatur ap-
petitum sensitivum, virtutes gignit morales. Quamvis
enim idem habeant objectum Intellectus practicus & volun-
tas, non tamen nihil differunt.

LXVII. 1. Intellectus practicus est facultas anime ra-
tionalis superior: Voluntas inferior. 2. Intellectus cognoscit
bonum, Voluntas appetit. 3. Voluntas movet Intellectum,
Intellectus vero dirigit voluntatem. 4. Voluntas in forma
actionis suae est libera, potest objectum ab Intellectu monstra-
tum rejicere vel acceptare: Intellectus secundum formam actio-
nis suae non est liber, sed res intelligit prout per speciem offerun-
tur. 5. Intellectui ministratur subjectum à sensu quod cogno-
scat: voluntati vero ab Intellectu ministratur, & proponitur
objectum, in quod tendit. Deniq; differunt quod intellectus
practicus seu recta ratio est sedes prudentiae, qua licet sit virtus,
domina tamen est & regina virtutum moralium. Voluntas
vero nullius virtutis subjectum est, sed unum ex principijs, per
quod recta ratio de rebus agendis prudenter deliberans pra-
stantes

stantes virtutum moralium habitus crebra moderatione in
appetitu sensitivo producit atq; efficit.

LXIIIX. Vt tandem cymbulâ velitationis nostræ portu
appellamus, Deo benedicto & glorioso, in quo sumus, vivimus
& movemur pro sua gratia annuente gratas gratias toto pe-
ctore agentes, vela contrahimus.

F I N I S.

ΕΠΙΣΑΓΜΑ GEOMETRICUM,
De Natura Intellectus: ad indolem Platoniam.



Artis Apellæ documenta volumine docto
Qui dedit, hæc eadem complexus imagine,
Artē pictura Sapiens expressit in una. (totam
Enthea vis animi, vis quâ Deus alter habe-
Si vel peniculo sciret, vel cuspide pingi, (mur
Pulcrior haud I. alo tabula esset cognita Soli.
Quid facimus? veterum vestigia forte secuti,
Indimus aureolæ meditamina nostra Mathesi.
Pinge mihi circum; pinxi: atq; inscribe quadratum,
Punctaq; contactus duo per diagonia necesse:
Inscriptum est: nexum est. Hæc nostræ mentis imago.
Quâ centrum DEUS est: mundi quem circumit orbis,
Sola sed insinuat tacito se tramite centro
Mens hominis; sola hæc divini conscia regni.
Quæ dum quadrisidum mundi quater alluit orbem,
Et Res & causas rerum, affectusq; sodales,
Seq; ipsum agnoscit, centrumq; agnoscit ab illis,
Terq; quaterq; bonum pulcrâ sub imagine centrum.
Et verè agnoscit: vera ut sunt consona veris,
A Equus ut est recto rectus semel angulus omni.

(Hemic)

(Hemicyclum recti tangunt hinc inde quaterni
Et totidem centrum.) Totum jam finge moveri;
Tempore mota uno tetragonon & orbis ad unum
En redeunt punctum : non est tamen ambitus unus:
Singula sic certa generum mens classe coercet,
Infinitam vocans ad prima cacumina rerum.
Rectangulos etiam quatuor mihi cerne trigonos;
Mentis iter nostræ basis : quam claude quadrato :
A Equus erit lateri tetragonus utriq; quadrato.
Hinc facile humana circulum de mente figures,
Qui duplo major posito sit carcere mundi.
Nempè animus tardo non cretus semine, mundum
Transvolat, æternis cupidus se jungere formis :
Quò centro propius, tantò constantius, ad te
Undiq; summe D E U S, motu properamus anhelò.
Non elementa sumus toti, pars optima mundo
Dependet supero ; quæ nostra est meta laborum.

P. R. R.



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011





SB

VD17

Retrokonv,







B.I.G.

Farbkarte #13



XVIII



LECTU

A N O,

INTELLECTU

Amplissimi Senatus
errima florentissimaq;
um Academia
ultate Philosophica
nato,
adam & discuti-
exhibet

EUS BACH-

Dresdensis,
nte
R Ö B E R O,
Misnico.

ij in Collegij novi Audi-
ris matutinis.
BERGÆ,
a Johannis Gormanni.
M. DC. X.



29

